

putemus, quod summæ est prudentiæ, et necessariæ disciplinæ. Nec erubescimus jam vestris oculis ac menti, o Lector, rudia hæc, et insipida nostra intimare. Magis meminisse oportet, inter militares æstus, et castrorum pulverem, non delicata quæri debere, sed fortia. Divitem illum tabernaculi sacri apparatus, tanta auri, gemmarumque varietate splendentem, opertoria cilicina, et ianthinæ rubricatæque arietum pelles defendebant atque servabant. Inter tabernacula Cedar peregrinantur Salomonis nostri divitiæ. Oportet et pelles offerre, quibus tam pretiosa totius doctrinæ, et veritatis supellex contegatur; ut jam non formosam tantum Sponsæ faciem, sed et nostris forsitan ruditatibus nigram, non repellere ac fastidire, sed suscipere, sed fovere digneris; quia et si hæc quæ in templo Dei offerimus fusca atque indecora videantur, utpote non aurum exhibentes aut purpuram, sed caprarum pilos, et horrentia saga, quæ solis ardoribus exusta haud gratum oculis referant colorem, tamen pugnæ ac laborioso certamini necessaria forsitan videbuntur tamquam tabernacula Cedar, et tamquam pelles Salomonis. Denique, quod a nobis erratum, quod minus attente dictum invenieris, de tuo supple, humanissime Lector, quia tuis hæc nostra servitutibus dedicamus. Nec te magni Athanasii verbis interpellare confundimur in epistola ad Serapionem, de Spiritu Sancto: « Paucis scripsi, et tuæ pietati transmisi, plurimum te exhortans, ut in istis legendis, quædam emendes; et ubi imbecillior est dictio, veniam dones. » Vale.

IN PRIMAM PARTEM

D. THOMÆ.

—
QUÆSTIO XV.

DE IDEIS.

—
SUMMA LITTERÆ.

Breviter discurrit S. Thomas circa divinas ideas, id est, circa exemplaria, quæ intellectus divinus intra se habet ad fabricandas res creatas, et inquirat tria. Primo, an dentur tales ideae, quod pertinet ad quæstionem an est. Secundo, an sint una, vel plures. Tertio, circa quæ objecta versentur, quod pertinet ad quæstionem quid est.

Igitur in articulo primo docet D. Thomas ponendas esse ideas in Deo, eo quod est agens intellectuale, quod in hoc differt ab agente pure naturali, quod agens naturale operatur per formam entitative similem suo effectui cui, agens autem intellectuale per formam intelligibilem, quæ exprimitur, et formatur in conceptu: et quando sic formatur, quod ex modo concipiendi est etiam formativa rerum ad extra, talis forma vocatur idea, sicut in mente artificum datur ad formanda sua artefacta.

In articulo secundo ostendit dari in Deo plures ideas, non quidem entitative plures, sed respectivæ ad res ideatas, et secundum officium ideandi, eo quod Deus non solum est artifex unius creaturæ, sed omnium, etiam in quantum plures et distinctæ sunt. Unde oportet quod ad diversas creaturas diversas imitabilitates fundet, quia quælibet creatura cum distincta sit ab alia, distincto etiam modo imitatur exemplar Dei; et sic habet diversos modos ideandi, et diversos respectus fundat ad sua ideata.

In articulo tertio docet omnium eorum, quæ Deus facit, dari ideas, practice quidem, quantum ad executionem, respectu eorum, quæ de facto fiunt: respectu vero eorum, quæ solum sunt possible, utitur idea, ut ratione cognoscendi tantum, non ut ratione practicante executive.

DISPUTATIO I.

DE IDEIS DIVINIS.

ARTICULUS I.

An sint, et quid sint ideæ?

Aliqua de his egimus in II physic. q. XI, art. III, quantum brevitatis illius hoc patiebatur. Nunc autem, ut latius res ista declaretur, tria in hoc articulo tractanda sunt. Primum, an sint ideæ. Secundum, quid sint. Tertium, quomodo causentur.

DARI IDEAS.

I. Idea nomen est Græcum significans formam, non quamcumque sed primam, seu exemplarem nostro vulgari original, ex cujus imitatione aliæ deducuntur, seu exemplantur: unde non est forma conjuncta materiæ; neque informans per sui unionem, sed per imitationem sui, non tam informans, quam formans ideatum. Est autem frequens hujus nominis usus, tum in sacris litteris, tum in patribus, tum in scholasticis. Apud Scripturam Exodi XXV dicitur Moysi: *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est et in Paralip. XXVIII: Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris: Ecclesiastici XXXVIII: Omnis faber, et architectus qui sculpsit signacula sculptilia, cor suum dabit in similitudinem picturæ, etc.* Apud patres videri potest S. Dionysius cap. V de divinis nominibus, lectione III, apud D. Thomam ubi docet: « Exemplaria, seu ideas esse in Deo rationes substantificas effectivas, et prædeterminativas rerum: » S. Augustinus pluri-

bus in locis lib. VII de civitate, cap. XXVIII, lib. XII, cap. XXVI et lib. XIV, cap. XXV. Sed præcipue in lib. LXXXIII quæstionum, quæst. XLVI, ubi inter alia inquit quod: « Ideas Plato primus appellasse perhibetur, non tamen est verisimile sapientes, aut nullos fuisse ante Platonem, aut istas quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse, si quidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens nemo esse possit. » Item Boetius, lib. III de consolatione, metro IX:

« Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine
[ducens. »]

Apud scholasticos videndus est Magister in I, dist. XXXVI, ubi communiter doctores, et D. Thomas in præsentia et quæstione III de veritate. Ac denique philosophi cum Aristotele in I et VII metaph. ubi late impugnat opinionem Platonis, qui ponebat ideas esse substantias quasdam separatas ab omni singularitate, per quarum participationem res singulares sortiebantur speciem.

II. Et ex hoc declaratur ratio, et necessitas ponendi ideas, tum ex quotidiana experientia, quia videmus nihil per artem nos elaborare, nisi inspiciendo aliquam similitudinem, et exemplar quod formamus in intellectu; tum ex ratione D. Thomæ in præsentia, quia in hoc distinguitur agens intellectuale a naturali, quod naturale agens operatur per formam naturalem per quam assimilatur sibi effectum executive generando: at vero agens intellectuale operatur per formam intelligibilem, non solum cogitationem, quæ est actus immanens ad intra, sed etiam effectus aliquos ad extra, dirigendo illorum formationem juxta id quod concipit: ergo oportet quod forma intelligibilis non solum

sit forma, quatenus informat intellectum ad cognoscendum, sed etiam quatenus format rem ad extra, imprimendo imitationem, et participationem sui in illa, sicut forma naturalis non solum est ratio constituendi compositum, et dandi illi esse, sed etiam est ratio agendi, et propagandi suam similitudinem. Et primo modo forma intelligibilis, quatenus informat intellectum ad cognoscendum, dicitur species, vel conceptus: secundo autem modo quatenus format ad agendum, dicitur idea, quia agens intellectuale, non casu, et fortuito operatur, sed intendens, et respiciens aliquid quasi regulam, et exemplar, ad cujus imitationem faciendum est opus. Quæ ratio etiam simitur ex D. Thomas quæst. III de verit. art. I.

III. Ex quo deducuntur duo valde notanda. Primum est, quod in nobis qui desumimus cognitionem ab objectis, ideæ seu exemplaria quæ formamus non ita sunt puræ formæ quin sint etiam formate, et derivatæ ab alio, id est, ab objecto exteriori; et ideo etiam objectum solet dici exemplar, seu originale, non formaliter sed objective, tamquam id a quo sumit intellectus species; non tamen objectum ad extra. Dicitur idea, quia nomine ideæ intelligimus aliquid formatum, et conceptum intra intellectum. Cæterum intellectus qui non accipit species ab objectis, habet ideam, quæ sit pure forma, et non sit formata, quod præcipue competit intellectui divino, cujus idea est forma pure formans, quia nullo modo formatur, aut desumitur ab objectis ad extra, sed ipsa format omnia.

IV. Secundum est, quod radix, et fundamentum ponendi in Deo ideas rerum faciendarum, est idem ac ponendi prædefinitiones prædeterminativas omnium eorum, quæ a providentia, et arte divina diriguntur,

et fiunt: et sicut ideæ antecederent ad ipsas res se habent, neque illas præsupponunt, sed disponunt, ita et prædefinitiones: nam et ipsæ ideæ non possunt operari nisi adjuncto decreto efficaci voluntatis; et ideo S. Dionysius supra citatus dixit ideas nominari in theologia prædefinitiones; verba Dionysii sunt: « Exemplaria dicimus in Deo existentium rationes substantificas, et singulariter præexistentes, quas theologia prædefinitiones vocat, et divinas, et bonas voluntates existentium prædeterminativas, et effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnia prædefinivit, et produxit. » Itaque Dionysius in unum conjungit fundamentum ponendi ideas, et ponendi prædefinitiones prædeterminativas, et effectivas omnium; et ratio est, quia cum omnia deriventur, et causentur a Deo ut artifice, consequenter debent causari ab idea et exemplari divino, tamquam ab eo quod Deus inspicit ut res producat: ergo prius debet intendere, et apud se definire, et statuere determinate quomodo aliquid faciendum sit, quam præsupponere cognitum sub aliquo statu, v. g. sub statu conditionato, antequam definiat: nam si præsupponit cognitum in aliquo statu, et non pro illo prædefinitum, neque etiam erit sub illo statu ideatum, et ab arte Dei profectum, quod est simpliciter non esse a Deo pro illo statu. Eadem ergo radix est ponendi ideas in Deo, et ponendi prædefinitiones prædeterminativas rerum, non præsuppositivas illarum.

QUID SIT IDEA?

V. Explicata necessitate ponendi ideas, restat videre quid sint. Ad quod supponimus definitionem ideæ communiter receptam, quod est forma imitabilis ad quam artifex res-

piens operatur. Et hinc nascitur difficultas explicandi quidditatem ideæ, quia ex una parte dicitur forma, et sic videtur quod debet informare intellectum, quod non potest esse nisi sit species, vel conceptus, cum sit forma per modum imaginis. Ex alia parte dicitur quod debet esse imitabilis, et id quod respicitur ab artifice, et sic debet esse objectum cognitum, non conceptus informans.

VI. Hinc orta est varietas opinionum. Quidam enim constituunt ideam in conceptu formali, qui est ipsa species expressa: alii in conceptu objectivo, qui est ipsa res cognita; utriusque dividuntur in alias duas sententias; nam quidam dicunt esse conceptum objectivum; quidam affirmant esse ipsam rem ideatam, prout apprehenditur ab artifice. Ita sumitur ex Scoto in 1, dist. xxxv, quæst. 1, §. Ad ista, ubi loquendo de ideis divinis, dicit quod sunt ipsæmet creaturæ ut objective cognitæ, non vero ipsa intellectio, aut repræsentatio Dei, sed ipsæ creaturæ ut apprehensæ a divino intellectu, sunt ideæ suimet in esse reali, et hoc esse objectivum, seu apprehensum creaturarum vocat Scotus esse quoddam diminutum, non quod posuerit Scotus aliquod esse reale positivum extra Deum, quod esset medium inter ens rationis, et ens reale, sed nomine entis diminuti intellexit ipsum ens reale creaturæ sub statu apprehensæ, non sub statu productæ. At vero Durandus licet etiam teneat quod idea est conceptus objectivus, non formalis, non tamen eodem modo ponit creaturas cognitæ esse ideas, sed distinguit de perfectionibus, quod quædam inveniuntur tam in Deo, quam in creaturis, ut esse, vivere, intelligere, etc. et de talibus perfectionibus dicit ipsam divinam essentiam, seu perfectiones illas divinas posse habere

se ut ideas respectu talium perfectionum, quæ sunt in creaturis: alias vero perfectiones esse quæ non sunt formaliter in Deo, sed solum in creaturis, quia habent imperfectionem admixtam; et de talibus non habet Deus ideam, nisi quatenus ipsas perfectiones creatas apprehendit, et juxta illas format ad extra. Alii vero distinguunt de idea creata, et increata, et dicunt quod in mente artificis creati idea est conceptus objectivus seu res ipsa cognita, non quidem res ipsa facienda, ut putavit Scotus, sed res illa, seu exemplar, quod sibi proponit artifex, ut ad instar illius faciat rem ad extra. In Deo autem dicunt ideam esse ipsum Verbum, seu conceptum formalem, quia Deus non sumit ideam ab aliquo originali extra se, sed ex repræsentatione quam habet de omnibus. Ita pater Vasquez in præsentis disp. lxxi, cap. ii.

VII. Qui vero dicunt idem esse ipsum conceptum formalem, etiam dupliciter dividuntur. Quidam enim constituunt ideam in ipso conceptu formali, prout deservit intellectui tamquam forma, seu medium repræsentandi ut quo. Ita p. Suarez disp. xxv metaph. sect. 1, præsertim conclus. ii, eamque sententiam tribuit Alensi, Bonaventuræ, Capreolo, et aliis. Alii vero existimant ipsum conceptum esse ideam non secundum quod exercet illud officium informandi ipsum intellectum, et repræsentandi ei formali repræsentatione, sed prout exercet aliud officium erga objectum, quatenus reddit illud expressum, et formatum, et intrinsece cognitum ut quod; et sic objectum immateriale, et intelligibile factum in ipso conceptu, est ratio originandi, et exemplandi res ad extra in se entitativo, et materiali. Ita communiter Thomistæ, quos etiam citat p. Suarez ubi supra n. vii, Cajetanus, Ferrariensis, Capreolus, et alii.

VIII. Hæc ultima sententia tenenda a nobis est, quam sine dubio existimamus esse D. Thomæ, nam doctor sanctus fatetur ideam esse ipsum conceptum, seu formam intelligibilem in mente artificis, et negat esse ipsum conceptum, seu cognitionem, quatenus est id quo intellectus cognoscit, sed quatenus est forma cognita, quatenus se habet ut ratio ad cuius instar res ad extra formatur: ergo sentit consistere in ipso conceptu, non secundum quod exercet informationem respectu intellectus, et est id quo cognoscit, sed quatenus reddit objectum formatum, et expressum, et est id quod cognoscit ut formatum a se, ad cuius instar res ad extra formetur.

IX. Major hujus syllogismi probatur duplici loco D. Thomæ et minor alio duplici loco. Probatur ergo major in primis ex D. Thoma super epistolam ad Hebræos cap. xi, lectione ii ad illa verba: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, ubi inquit: « Sciendum est quod Verbum Dei est ipse conceptus Dei, quo se ipsum, et alia intelligit: Deus autem comparatur ad creaturam, sicut artifex ad opus suum. Hoc autem videmus quod artifex opus illud quod producit extra, producit in similitudinem conceptus sui. Unde facit domum in materia ad similitudinem domus quam in mente sua formavit. » Deinde, in hac quæstione xv, art. 1, inquit quod: « Similitudo domus præexistit in mente ædificatoris, et hæc potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilari formæ, quam mente concepit. » Fatetur ergo D. Thomas ideam esse ipsum conceptum formalem existentem in mente artificis: talis autem conceptus est conceptus formalis, non objectivus, est enim intra intellectum: ergo in conceptu formali ponit D. Thomas ideam.

X. Minor vero syllogismi facti, scilicet quod D. Thomas negat conceptum esse ideam, quatenus est id quo intellectus cognoscit, sed ut est forma cognita, et expressa, constat ex his quæ docet in præsentis, art. ii, ubi inquit: « Ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non sicut species qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu: forma enim domus in mente adificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum in materia format. » Et iterum solutione ad secundum: « Sapientia et ars significantur ut quo Deus intelligit, sed idea ut quod intelligit, sicut artifex dum intelligit formam domus, in materia dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus ut a se speculatam (id est, formatam, et excogitatam) ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus. » Manifeste ergo docet S. Thomas conceptum non esse ideam, quatenus præcise exercet munus informandi intellectum, et se habet ut medium quo cognoscit, sed ut importat aliquid formatum, et cognitum ut quod intra intellectum. Deinde, D. Thomas in 1, dist. xxvii, quæst. ii, art. iii ad iv inquit quod: « Artifex potest converti ad speciem artis quæ apud ipsum est tripliciter, vel secundum quod est similitudo rei per ipsum fiendæ, et sic absolute convertitur in rem artificiatam, nullam considerationem habens de arte sua: vel in ipsam speciem artis secundum esse quod habet in anima, et sic est absolute consideratio ipsius speciei, in quantum est res quædam, neque aliquid tunc de re artificiatam considerat: vel comparando unum ad alterum, dum considerat illam speciem, quæ apud se est, esse causam eorum quæ ab ipso fiunt; et ita etiam est de intellectu divino. » Et solum hoc tertio